

aut alia extrinseca impedimenta, non possit homo majorem fidei notitiam consequi, aut certe ut necessarium non sit neque opportunum, illud baptismi desiderium exercere, ut etiam contra priorem dicendi modum argumenta habentur. Deinde est in hoc magna differentia inter fidem Christi, et desiderium baptismi. Nam illa per se, et propter se est necessaria explicite in lege gratiæ, et ideo licet ex accidenti possit sufficere implicita ad justitiam, tamen semper manet obligatio et necessitas habendi fidem explicitam Christi in hac vita, si fieri potest; tamen desiderium, seu propositum baptismi non exigitur propter se, sicut fides, sed propter externam susceptionem ipsius sacramenti, et ideo si non occurrat oportunitas, nec spes obtinendi ipsum sacramentum, non est, cur sit necessarium expressum desiderium ejus. Denique baptismus in re susceptus non est necessarius ad gloriam obtinendam, quia interdum potest propter necessitatem, et occurrentia impedimenta, sine illo obtineri. Sed etiam possunt occurrere impedimenta, propter quæ non possit homo habere votum explicitum baptismi. Ergo eadem ratione non erit necessarium tale votum ad obtinendam gloriam.

40. *Tam ad justitiam, quam ad gloriam sufficere potest implicitum votum baptismi.* — Tertius ergo dicendi modus et verus est, tam ad justitiam, quam ad gloriam consequendam sufficere posse implicitum votum baptismi. Quem docuit Vega, lib. 5, in Trid., cap. 44, et sumitur ex S. Thom. supra, quæst. 68, art. 2, et clarius in hac quæst. 69, art. 4, ad 2. Cujus fundamentum satis constat ex dictis contra præcedentes sententias, scilicet, quia sufficiens dispositio ad gratiam potest haberi cum voto implicito in ipsa contritione incluso, ut significavit Trid., sess. 6, can. 6 et 7, et clarius, sess. 4, cap. 4; gratia autem comparata per hanc dispositionem potest durare usque ad mortem sine novo desiderio baptismi, atque etiam sufficere ad ultimam salutem. Sed de hac re plura dicturi sumus in materia de poenitentia

SECTIO III.

Utrum baptismus re ipsa susceptus sit infantibus necessarius ad salutem.

1. *Pelagianorum error.* — *Salvarine possit infans sine baptismo ob casum fortuitum non*

suscepto. — Hæc quæstio accipienda est, secluso privilegio martyrii, atque in hunc sensum accipienda sunt, tam quæ in præcedenti sectione sunt dicta, quam quæ in præsentibus dixerimus, ne id sæpius oporteat monere. Fuit ergo quorundam sententia asserentium, parvulos posse sine baptismo salvari, et vitam æternam consequi. Hoc docuerunt Pelagiani, qui, cum negarent originale peccatum, negarunt etiam parvulos indigere baptismo ad remissionem peccatorum; de quibus, et de aliis hæreticis negantibus utilitatem, vel necessitatem baptismi, satis in superioribus dictum est; nunc solum cum Catholicis est disputandum; qui cum fateantur, parvulos indigere baptismo, esseque simpliciter loquendo necessarium ad salutem, quia verba Christi Domini, Joan. 3, et definitiones Conciliorum et Sanctorum id convincunt, nihilominus arbitrantur, interdum parvulos posse salvari sine baptismo, si casu aliquo, vel fortuito eventu contingat, ut illis non possit applicari. In hac vero sententia asserenda, duo possunt modi excogitari: prior est, hoc non esse regulare, neque secundum legem ordinariam a Christo Domino statutam; tamen interdum ex misericordia Dei et speciali dispensatione privilegium hoc aliquibus concedi. Ita sentit Altisiodor., in Sum., lib. 4, tract. 3, cap. 4; Alens., 4 part., quæst. 13, art. 4 et 2; Sylvester, verbo Baptismus, primo, num. 5 et 7; qui specialiter loquuntur in eo casu, in quo baptismus exterius administrari incipit, tamen in eo committitur defectus essentialis, aut in materia, aut in forma, aut in intentione ministri. Tunc enim existimant, quamvis baptismus nullus sit, pie tamen credi, Deum supplere effectum ejus; ex quo fit consequens, infantem sic baptizatum salvari sine baptismo, quia revera ille baptismus nullus est. Pro qua sententia citari possunt alii auctores, qui generatim de sacramentis ita sentiunt, quando in eis committitur defectus essentialis, quos citavi supra tractando de sacramentis in genere. Eandem sententiam absolute docet Bonav., in 4, dist. 4, art. 4, quæst. 1, ad ult., qui solum dicit, hanc esse legem communem, sed ex privilegio posse aliud fieri, sicut in sanctificatis in utero, idemque sentit Gabriel ibi., quæst. 2, art. 3, dub. 2, circa finem, et Gerson, tom. 3 suorum operum, serm. de Nativitate Mariæ, considerat. 2, ubi dicit, debere parentes fundere preces pro filiis infantibus, si forte casu aliquo morituri sint ante baptismum, ut Chris-

tus in eis gratiam suppleat, quia non est omnino ablata spes, quamvis absque revelatione nulla possit esse certitudo. Fundamentum hujus sententiæ solum est, quia Christus statuendo ordinariam legem de necessitate baptismi non abstulit sibi potestatem dispensandi, et gratiam suam communicandi per potestatem excellentiæ, quæ non est alligata sacramentis. Ergo pium est credere, ita interdum facere, vel ob parentum justorum deprecationem, vel ad ostensionem gratiæ suæ.

2. *Fundamentum secundæ sententiæ.* — *Confirmatur primo.* — *Confirmatur secundo.* — *Confirmatur tertio.* — Secundus modus asserendi hanc sententiam est, non solum interdum speciali privilegio, sed semper ac certa lege id fieri, ut parvulus, qui in aliquo casu fortuito baptizari non possit, per aliud remedium salvari possit, videlicet per fidem parentum ei applicatam quolibet religioso signo externo, ut, v. gr., signo crucis cum invocatione Trinitatis, vel alio simili. Hanc sententiam docuit inter Catholicos solus Cajet., quæst. 68, art. 2, qui hoc modo videtur legem Christi interpretari, quasi addendo illi conditionem, scilicet, baptismum esse parvulis necessarium, si possit illis applicari. Aut melius dicere posset, baptismum esse parvulis necessarium in re, vel in voto. Atque hinc possumus fundamentum hujus sententiæ inchoare. Nam lex de necessitate baptismi æque universaliter proposita est pro adultis ac pro parvulis, et nihilominus in adultis explicatur de baptismo in re, vel in voto. Ergo eodem modo explicanda est in parvulis, qui imbecilliores, et indigentiores sunt, quam adulti, si tamen eis potest commode applicari dicta distinctio. Quod autem possit, ita declaro, quia voluntas parentis reputatur voluntas parvuli, nam, ut inquit Prosper, lib. 2 de Vocatione gentium, cap. 8, omnia exordia parvulorum sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, neque illis ullo modo, nisi per alios consuli potest, et consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo reguntur affectu. Sicut ergo adultus per voluntatem propriam habet votum baptismi, ita infans poterit illum habere per voluntatem parentis, præsertim si applicetur illi aliquo signo externo, quod poterit etiam dici continere hujusmodi votum, quasi ex opere operato, sicut multi dicunt, baptismum continere votum Eucharistiæ. Et confirmatur hæc sententia primo, quia Christus Dominus potuit instituere necessitatem bap-

tismi, et dare legem ejus hoc sensu, et cum prædicta exceptione; et verba Evangelii videntur sufficienter explicari dicto modo. Atque hoc providentiæ genus videtur suavius et sapientiæ ac charitati Christi magis consentaneum. Sic enim melius erit provisum necessitati parvulorum; et aliunde nullum sequitur incommodum. Et confirmatur secundo, quia remedium originalis peccati, respectu parvulorum, non debet esse in lege nova magis limitatum, et coarctatum, quam in veteri, cum illa sit lex gratiæ, et in ea merita Christi efficacius applicentur. Sed in lege veteri ita fuit data circumcisio in remedium necessarium parvulorum, ut si casu aliquo eis applicari non posset, per sacramentum seu remedium legis naturæ posset illis subveniri, scilicet applicando eis fidem Christi quolibet externo signo. Ergo idem credendum est sufficere in lege gratiæ. Ratio enim eadem est, aut major. Ideo enim id factum est in lege veteri, ne illa signi exterioris determinatio cederet in detrimentum parvulorum, atque ita videretur eis salutis via difficilior et arctior effecta. Hæc autem ratio multo majorem vim habet in præsentis tempore gratiæ. Ergo censendum est, nunc utile esse posse parvulis remedium legis naturæ, quando non potest illis baptismus applicari; non quidem per se, et vi sua, sed ut includit votum baptismi. Unde Bernard., epist. 77, non longe a principio, cum dixisset, necessitatem baptismi non incepisse usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, subdit: *Sane parvulis, et nondum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio, tamdiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta non fuisse constiterit. An vero ultra, penes Deum est, non meum definire.* Ecce non audet Bernardus negare, posse interdum sacramentum antiquum prædesse parvulis in lege gratiæ, et post Evangelium sufficienter promulgatum. Ergo hoc maxime probabile est de sacramento legis naturæ, et in articulo necessitatis, non ut erat sacramentum illius legis, sed ut continet votum baptismi. Quod etiam confirmat et declarat exemplum adultorum, qui si nunc baptizari non possint re ipsa, salvari possunt eodem remedio, quo salvabantur in lege naturæ, scilicet, eadem fide et contritione, non tamen eadem ratione et consideratione, sed prout nunc includunt votum fidei explicitæ Christi et baptismi. Quid ergo mirum, si idem dica-

mus de parvulis, servata proportione, cum hi sint magis innocentes, nec sit ulla ratio, cur eis magis limitetur remedium salutis, quam adultis? Ac denique, quia sicut adultus per suam voluntatem facit quod in se est, ita potest facere parvulus per voluntatem parentis. Tandem confirmatur hæc sententia, quia alias sequitur, infantes decedentes in uteris matris, nullo modo posse salvari in lege gratiæ, quia non possunt tingi aqua, neque ablutio matris potest esse materia sacramenti baptismi respectu filii, ut in superioribus ostensum est. Consequens autem videtur durissimum, ut idem Cajetan. notavit superiori quæst., art. 11, scilicet quod divina providentia reliquerit homines sine remedio salutis in quodam statu, in quo quampluribus ex hac vita discedere necesse est. Neque enim refert, si dicamus in eo statu infantem esse veluti partem matris, et ideo non esse capacem proprii remedii. Nam revera non ita est. Est enim suppositum a matre distinctum, et ideo capax propriæ culpæ originalis distinctæ a culpa matris; et similiter propriæ sanctificationis. Unde fit, ut sæpe mater possit esse justa, et infans sit in peccato, et e contrario potest filius in utero matris sanctificari, etiam si mater non esset sancta. Est ergo capax proprii remedii contra originale peccatum. Etenim si culpa Adæ communicatur filio in utero matris, et hoc fit ordinaria lege, ac via, multo magis poterit esse aliud quod remedium, quo eidem applicetur gratia Christi, cum ejus meritum efficacius sit quam demeritum Adæ. Ergo non est, cur dicamus, clausam esse his infantibus salutis viam in lege gratiæ; poterunt ergo sine baptismo salvari.

3. *Quomodo infantes in lege gratiæ non possint salvari.* — *Excluditur Cajet. sententia.* — *Non est votum baptismi nisi in adultis.* — *In quo Cajet. cum Pelagio conveniat.* — Dico primo, infantes, qui ante usum rationis moriuntur, tempore legis gratiæ sufficienter promulgatæ, non posse salvari secundum legem ordinariam, nisi re ipsa eis applicetur verum ac validum baptismi sacramentum. Hæc est sententia D. Thom. superiore quæst., art. 2, ubi nullum censet esse possibile votum baptismi, nisi in his, qui per proprium actum possunt cognoscere et desiderare, et infra, quæst. 73, art. 3, dicit ante baptismum susceptum non posse parvulum habere baptismum in voto, et ideo non posse rem sacramenti sine ipso sacramento

obtinere; idem 1. 2, quæst. 113, art. 3, ad 1, et in 4, dist. 4, quæst. 3, art. 3, quæstiunc. 2, ad 3, et Quodlibet. 6, art. 4, ubi in terminis tractat quæstionem de casu necessitatis; et hæc etiam est communis sententia Doctorum in 4, dist. 4, Scoti, Durandi, Richardi, Paludani, Capreoli, et aliorum; Soto, dist. 5, art. 2; Vega, lib. 5 in Tridentinum, cap. ult.; Waldensis, 2 tom. de Sacram., cap. 99, ubi inter errores Wiclef. ponit, quod dubitaverit, an parvulus sine baptismo mortuus damnetur. Tandem Castro, lib. 3 contra hæreses, verbo Baptismus, hæres. 9, sententiam Cajet. ut hæreticam damnare videtur, et revera est valde aliena a sensu et dogmatibus Ecclesiæ, et ideo, ut minimum, est temeraria, et errori proxima; eamque ob causam merito Pius V, hanc Cajet. sententiam a commentariis D. Thom. expungi fecit in Romana impressione. Præcipuum fundamentum hujus sententiæ sumendum est ex verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, quæ non licet unicuique proprio sensu et arbitrio interpretari, sed juxta proprietatem verborum, et juxta Ecclesiæ sensum, et SS. Patrum, quorum nullus addidit exceptionem illam, quam Cajet. contra verborum vim adjunxit, faciens ex propositione absoluta conditionatam; nam Christus absolute dixit: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, ipse vero addit conditionem, si fuerit possibile, absque ullo testimonio, vel auctoritate. Nec majus pondus auctoritatis habet alia interpretatio de baptismo et voto respectu parvulorum. Nullus enim Sanctorum agnovit votum baptismi, nisi in adultis, idque merito, ut commodius infra dicam, respondendo ad fundamenta contrariæ sententiæ. Est ergo lex lata a Christo simpliciter, et absolute intelligenda, ut verba sonant. Per eam autem plane excluduntur a regno cælorum omnes parvuli, qui sine baptismo moriuntur. Unde August., lib. de Natura et grat., cap. 8, tractans de parvulo in eo loconato, ac mortuo, ubi baptizari non potuit, sic inquit: *Absolvat eum Pelagius, et aperiat ei contra sententiam Domini regnum cælorum, sed non absolvit eum Apostolus, dicens: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors;* et similem doctrinam habet, lib. de Bono persever., cap. 12. Nec refert, quod directe scribit contra Pelagium. Nam licet diverso modo et ratione, tamen in hoc convenit sententia Cajetani cum sententia Pelagii, quod absolvit hujusmodi infantem, eique regnum cælorum

aperit, et hoc est, quod simpliciter damnat August., docens, esse verbis Christi contrarium. Unde lib. 4 de Anima et ejus origine, cap. 9, et lib. 2, cap. 12, refert sententiam cujusdam Vincentii Victoris, qui cum non negasset peccatum originale in parvulis (in quo a Pelagio differebat), nihilominus his parvulis, qui morte præveniuntur prius, quam baptizentur in Christo, ausus fuit eis promittere, non solum Paradisum, verum etiam regnum cælorum, et ideo aiebat, pro eis oblationes assiduas, et sacrificia sanctorum sacerdotum jugiter esse offerenda, et subdit August., illum hæreticum plus fuisse ausum, quam Pelagium. Nam hic non est ausus promittere parvulis non baptizatis regnum cælorum, sed nescio quam aliam æternam vitam, seu felicitatis locum; Vincentius autem etiam regnum cælorum eis concedere ausus est, contra regularem legem Christi, ait August., concludens: *Numquid in hac causa erroris, audaciam, temeritatem, præsumptionem habere quisquam posset ampliore?* et ideo lib. 3, cap. 9, ita definit: *Noli docere, noli docere, infantes morte præventos, antequam baptizentur, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus;* in quibus verbis jam non contra Pelagium, sed contra Cajetanum scribere videtur. Non enim dicit: *Noli docere, infantes carere originali peccato, sed: Noli docere, stante lege Christi, posse illis remitti sine baptismo.* Atque hoc aperte confirmat Ambrosius, lib. 2 de Abraham, cap. ult., ubi tractans verba Christi: *Nisi quis renatus: Utique, inquit, nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate; nemo ascendit in cælum, nisi per sacramentum baptismi, et quia omnis ætas peccato est obnoxia, ideo omnis ætas est huic sacramento idonea.* Sic etiam Isidor., lib. 2 de Div. officiis, cap. 24 de Baptismo: *Parvulis, inquit, baptismus proficit, ut a peccato originali abluantur, quod ab Adam prima nativitate contraxerunt, qui, si priusquam ex aqua et Spiritu Sancto regenerentur, transierint, procul dubio a Salvatore nostro Christo alienati sunt, testante Domino: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.* Atque in eadem sententiam scribit Gregor., lib. 7, epist. 53, versus finem, ubi respondet huic quæstioni sibi propositæ de parvulis morte præventis ante baptismum susceptum, dicitque esse rem certam, eos non ingredi regnum cælorum, ex lege a Christo lata; atque idem tradit Innocentius IV,

in cap. Majores, de Baptismo; et Concilium Constantiense, sess. 15, absolute damnat erroris, dicere parvulos posse sine baptismo salvari; et Conc. Trid., sess. 5, can. 3, definit peccatum originale non posse parvulis remitti per aliud remedium, præterquam per meritum Christi applicatum per baptismi sacramentum rite collatum; et cap. 4, dicit, necessarium esse, hoc peccatum regenerationis lavacro expiari; et sess. 6, cap. 4, clarius docet, post Evangelium promulgatum neminem justificari posse sine lavacro regenerationis, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit;* et sess. 7, can. 5, absolute definit baptismum esse ad salutem necessarium.

4. *Probatur conclusio ratione.* — *Excluditur fuga contrariæ sententiæ.* — *Quomodo voluntas patris non reputetur votum filii.* — *Quanam absurda sequantur ex opposita sententia.* — Ultimo possumus argumentari ratione, quanquam hæc conclusio revera tota posita est in Christi voluntate et institutione. Nam ex illa totum hoc negotium pendet. Potest tamen in hunc modum explicari. Nam infantes salvari non possunt ex opere operantis per proprium actum, seu propriam dispositionem, quia non sunt capaces illius, ut per se notum est, nisi fortasse per miraculum, quod eis attribuere vanum esset, et sine ullo fundamento confictum, ut in superioribus etiam dictum est contra hujus temporis hæreticos. Rursus nec salvari possunt ex opere operato sine baptismo secundum legem latam, quia hic modus consequendi salutem pendet ex Dei provisione et institutione. Non est autem talis provisio facta in lege gratiæ alteri remedio præter baptismum; imo ita huic facta est, ut alia remedia excludantur, unde August., lib. 4 de Peccatorum meritis et remissione, cap. 25: *Nulla, inquit, præter baptismum Christi salus permittitur infantibus, quia infantes, si per sacramentum, quod ad hoc est divinitus institutum, in credentium numerum non transeant, in tenebris manent.* Atque in hoc tenere potest proportio et similitudo inter parvulos et adultos, quia etiam adulti non possunt ex opere operato justificari ab originali peccato, nisi per baptismum. In hoc ergo pares esse debent infantes, nam est eadem omnium ratio, quia pro omnibus est institutus baptismus, et de omnibus lata est lex necessitatem inducens. Quod vero adulti possint per propriam dispositionem justificari cum voto baptismi, intrinsece requirit facultatem utendi ratione, quæ possit

divina gratia excitari et adjuvari; et ideo in hoc non potuerunt parvuli illis esse pares, ut latius dicemus in solutionibus argumentorum. Unde potest hæc ratio confirmari, simulque excludi fuga vel evasio contrariæ sententiæ. Nam isti parvuli non possunt salvari per baptismum in voto; ergo, si non salvantur per baptismum in re, nullum eis superest remedium. Patet consequentia, quia ostensum est, baptismum, simpliciter loquendo, esse medium necessarium ad salutem. Antecedens autem probatur, quia votum baptismi habendum est, aut per desiderium ejus, seu expressum propositum suscipiendi illum, aut certe per talem dispositionem ad gratiam, quæ hoc votum implicite continet. Quod vero dicitur paternam voluntatem vel dispositionem reputari votum filii, vanum est, et sine fundamento. Nam quod propria contritio implicite includat votum baptismi, supposita illius lege, non est aliquid extrinsecus superadditum, sed ex natura rei consequitur. Nam vera contritio includit propositum servandi omnia præcepta, et exequendi omnia necessaria ad salutem, et divinam amicitiam tuendam. Unde hoc ipso, quod baptismus est præceptus, et necessarius, continetur subjecto illius propositi, atque hoc modo ex natura rei tale propositum continet votum implicite baptismi, supposita lege ejus. At vero quod voluntas, seu desiderium patris proficiat filio tanquam dispositio vel votum ejus, non potest in ipsa rei natura fundari, etiam supposita lege baptismi. Oportet ergo ostendere Christi legem, aut provisionem, qua decreverit, hujusmodi patris voluntatem ita acceptari ad salutem filii, ac si esset voluntas ejus. Nulla autem extat talis Christi promissio, nec vestigium ejus. Nam illud principium, quod filii ante usum rationis reguntur patris voluntate, neque aliam habent præter illam, non satis est, ut existimemus, totum negotium salutis filii positum esse in voluntate patris, sicut in adultis totum negotium salutis proprie pendet ex propria voluntate. Alias sequitur primo, baptismum datum filio contra voluntatem patris non esse validum, nec illi prodesse ad salutem, quod est omnino falsum, ut in superioribus ostendi. Secundo sequitur, si pater desideret filio abundantior gratiam, hoc ipso acceptari ad illum effectum, et reputari, ac si esset voluntas ipsius filii, quod est plane falsum, alias crescerent infantes in gratia per desideria vel merita parentum. Unde e contrario etiam

fieret, ut per pravam patris voluntatem posset infans justificatus gratiam amittere, ut si pater filium offerat idolo, quia voluntas patris æque reputanda est voluntas filii in malis, ac in bonis. Consequens autem est aperte erroneum, ut late tractat August., in Psalm. 23. Tertio sequitur, quod sicut adultus statim justificatur per votum baptismi, etiam si non sit in extremo periculo moriendi sine baptismo, ita etiam infantes hoc ipso, quod parentes illos Deo offerunt, et proponunt eos baptizare, statim justificentur, etiam si non sint in necessitate, vel periculo moriendi sine baptismo. Patet sequela, quia est eadem ratio et proportio, juxta contrariam sententiam, inter propriam voluntatem respectu adulti, et voluntatem patris respectu filii. Eadem ergo voluntas, atque idem votum, quod sufficit in necessitate ad ultimam et æternam salutem, sufficit extra illam ad justificationem. Consequens autem est plane falsum, alioqui fere nunquam infantes acciperent primam justitiam in baptismo re ipsa suscepto, sed in voto ejus per voluntatem parentum. Unde ulterius sequitur, quod licet postea omittatur baptismus ex negligentia, vel personali malitia, nihilominus infans salvatur, quæ omnia sunt valde absurda, et ab Ecclesiæ sensu aliena.

5. *Nullus infans sine baptismo etiam ex speciali privilegio salvatur, idque sine revelatione temere asseritur de aliquo.* — Sicut adultus sine fide, ita parvulus sine baptismo salvari non potest. — Dico secundo, nullum infantem decedentem sine baptismo salvari ex speciali privilegio aut dispensatione, vel saltem non posse hoc de aliquo affirmari absque speciali revelatione sine temeritate. Hæc conclusio sequitur judicio meo ex præcedenti, eamque docuit Scot., dist. 45, art. 2, et colligi potest ex August. citatis locis, de Origine animæ, et ratio est, quia nobis constat de universali lege in Scriptura lata; non ergo potest a nobis dispensatio in tali lege, aut speciale privilegium affirmari, nisi aut ex eadem Scriptura colligatur, aut alia sufficienti auctoritate, vel revelatione constet, præsertim cum non soleat Deus his dispensationibus uti, et præter legem ordinariam quasi miraculose operari propter privatas rationes, seu personalia commoda, aut necessitates aliquorum, sed propter aliquod commune bonum, aut publicum ministerium, seu divinæ gratiæ commendationem, ut in hac materia dixit D. Thom. in 4, dist. 6, quæst. 4, art. 2,

quæstiunc. 2, ad 3. Et confirmatur, nam si Deus vellet inusitato seu miraculoso modo operari, facilius illi esset providere viam aut rationem aliquam baptizandi illum, quam eum sine baptismo justificare. Sicut magis extraordinarium et miraculosum esset justificare adultum sine fide, quam extraordinario modo providere viam comparandi fidem. Sicut ergo improbabile ac temerarium esset, dicere, adultum aliquem salvari sine fide, quando non habet humanum medium ad obtinendam illam, sed dicendum potius est, vel Deum illi donare fidem per specialem aliquam providentiam, vel certe fore damnandum, si Deus hoc modo illi non provideret, ita de nullo infante credendum est, ex dispensatione salvari sine fidei sacramento, quod est baptismus, sed vel Deum illi providere de baptismo, vel certe perire, si omnino hac providentia destituatur et baptismo careat. Atque ex hac conclusione colligo, idem dicendum esse de infante, qui exterius baptizatus est, tamen in baptismo commissus est defectus aliquis essentialis. Nam cum ille defectus irretet totum sacramentum, perinde se habet, ac si nullo modo esset baptizatus, quia revera non est renatus ex aqua et Spiritu Sancto, et tota illa actio exterior re ipsa non fuit sacramentalis; atque ita nullum effectum habere potest. Unde affirmare, in eo casu parvulum salvari, non est verisimilius, quam id affirmare, de quocumque parvulo sine baptismo mortuo. Nam vel illi promittitur salus per legem ordinariam, vel per speciale privilegium aut dispensationem. Hoc posterius vanum est, et sine fundamento, ut dictum est. Illud vero prius involvit in terminis repugnantiam. Nam si illa actio exterior, prout fuit facta cum tali defectu, non est sacramentum, ergo non est signum gratiæ ex certa lege Dei et promissione; vel e contrario, si non obstante illo defectu, ex certa lege datur gratia per illam actionem, ergo illa est verum sacramentum, quia talis promissio gratiæ secundum legem ordinariam non est facta, nisi sacramento. Item si ex lege Dei esset certum signum gratiæ, et vera regeneratio, ergo, vel esset aliud sacramentum præter baptismum regenerativum animæ in lege gratiæ, quod est hæreticum; vel esset verum baptismi sacramentum cum defectu essentiali, quod est in se repugnat, et non est minus falsum.

6. *Ad fundamentum contrariæ sententiæ.* — Ad fundamentum igitur contrariæ sententiæ priori modo explicatum, respondetur, Chris-

tum quidem non abstulisse sibi potestatem dispensandi in lege sua, aut communicandi gratiam eo modo, quo sibi placuerit; tamen nec pium, nec rationabile esse credere, aut asserere, ipsum hoc facere in privata aliqua necessitate, sine alia causa, vel ratione, vel fundamento. Nam vel de omni simili necessitate idem asserendum est, et hoc virtute est asserere, ita fieri ex lege ordinaria; vel certe non est minor ratio ad id potius asserendum in uno casu, quam in alio, nisi hoc speciali revelatione constet. Imo existimo in hujusmodi necessitate non debere pios parentes petere a Deo, ut justificet, vel salvet parvulum sine baptismo, quia hoc esset petere ab illo, ut contra suam legem agat, vel ut in universali lege pro omnibus lata dispenset, quod sine speciali revelatione, aut instinctu Spiritus Sancti qui revelationi æquivalet, non licet, sicut non licet petere a Deo, ut aliquem damnatum ab inferno liberet, vel ut peccatorem adultum sine illius dispositione sanctificet. Sed in his casibus petendum est a Deo, vel in communi, ut de remedio necessario provideat, vel certe, ut non permittat parvulum in ea opportunitate mori, antequam baptizetur. Hoc autem intelligendum est, ut dixi, secundum ordinarium modum procedendi hominum, consentaneum fidei, et legi a Deo latæ. Nam speciali instinctu Spiritus Sancti qui, ubi vult, et quomodo vult, spirat, posset interdum aliud licere.

7. *Ad fundamentum opinionis Cajetani.* — Ad primam confirmationem. — Ad fundamentum opinionis Cajetani jam ostensum est, utramque interpretationem legis Christi esse valde absurdam. Nam cum absolute lex lata sit, et absolutam necessitatem præ se ferat, addere ei conditionem, vel generalem et ordinariam exceptionem, solum ex proprio capite et arbitrio, non est interpretari legem, sed corrumpere. Altera vero interpretatio de baptismo in re, vel in voto, non potest applicari parvulis, de quibus, quoad hoc, non est eadem ratio, quæ de adultis, ut ostensum est. Quod autem dici solet, parvulum non habere aliam voluntatem, præter paternam, intelligendum est quoad particulare jus, quod pater habet ad gubernandum filium, et curam ejus gerendam in his, quæ ad corpus et animam ejus pertinent, de quo jure in superioribus late tractatum est; non vero quoad hoc, ut voluntas patris reputetur voluntas filii, præsertim in his, quæ ad salutem animæ spectant, quæ non sunt posita in voluntate patris,